

## § 78.

## Bibliographia concordiae biblicae.

De concordia biblica *interna* tractant omnia opera exegetica, imprimis illa, quae libros parallelos interpretantur. Aliquot hujusmodi operum recensio in historia exegesis invenitur.

De concordia *externa philosophica* agunt libri, qui philosophiam Christianam, dogmaticam et apologeticam tractant. Hos ergo enumerare supersedemus, et lectorem ad illas disciplinas remittimus.

De *harmonia historica* sequentia opera nominasse sufficiat. (Auctores asterisco notati sunt orthodoxi; ceterorum sive catholicorum sive protestantium libri caute sunt legendi.)

*G. Smith*, The chaldean account of Genesis (by Sayce), nova editio. London, 1880. Germanice *G. Smith's Chald. Genesis* von H. Delitzsch. Leipzig, 1876.

*Friedr. Delitzsch*, Wo lag das Paradies? Leipzig, 1881.

*Fr. Lenormant*, Die Anfänge der Cultur. Jena, 1875.

*F. Chabas*, Études sur l'antiquité historique. II. édit. Paris, 1873.

*G. Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's. Leipzig, 1868. — Durch Gosen zum Sinai, II. Aufl. Leipzig, 1881.

*H. Brugsch*, L'exode et les monuments égyptiens. Leipzig, 1875. — Steinschrift und Bibelwort, II. Aufl. Berlin, 1891. Idem plura opera super aegyptologia scripsit.

*Eb. Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung. Giessen, 1878. — Die Keilinschriften und das alte Test. II. Aufl. Giessen, 1883.

\* *A. Scholz*, Die Keilschrift-Urkunden und die Genesis, Würzburg, 1877. — Die Aegyptologie und die Bücher Mosis. Würzburg, 1878.

\* *F. Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes. IV. Edit. Paris, 1884—85. (Etiam versio Hungarica adest.) — Le nouveau Testament. Paris, 1890.

\* *P. J. Röckerath*, Bibl. Chronologie. Münster, 1865.

\* *J. Raška*, Die Chronologie der Bibel. Wien, 1878.

\* *Al. Schäfer*, Die bibl. Chronologie. Münster, 1879.

\* *Fl. Riess*, Das Geburtsjahr Christi. Freiburg, 1880. — Nochmals das Geburtsjahr J. Chr. Freiburg, 1883.

\* *E. A. Pannier*, Genealogiae biblicae. Insulis, 1886.

\* *A. Giesswein*, Mizraim és Assur tanusága. Győr, 1887. — Az összehasonlító nyelvészet. Győr, 1890. (Etiam germanice.)

\* *St. Székely*, Az emberi nem kora és a Szentírás. Esztergom, 1887. — Az emberi nem régisége. Budapest, 1889. — A Szentírás apológiája. Nagyvárad, 1891.

De *harmonia physica* multa sunt opera, quorum pauca tantum memoramus commendatione digna.

*Pianciani*, Erläuterungen zur Mosaischen Schöpfungsgeschichte. Deutsch von Schöttl. Regensburg, 1853.

*Ath. Bosizio*, Das Hexaëmeron und die Geologie. Mainz, 1865. — Die Geologie und die Sündfluth. Mainz, 1877. — Antiquitatis tenax.

*P. M. Rauch*, Die Einheit des Menschengeschlechtes. Augsburg, 1873.

*H. Reusch*, Bibel und Natur. IV. Aufl. Bonn, 1876. — Opus egregium.

*H. Lüken*, Die Stiftungsurkunde des Menschengeschl. Freib. 1876.

*Fr. Hummelauer*, Der bibl. Schöpfungsbericht, Freib. 1877.

*C. Güttler*, Naturforschung und Bibel. Freiburg, 1877.

*Fr. Hettinger*, Apologie des Christenth. VI. Aufl. Freiburg, 1885.

*Alb. Cetta*, Il diluvio. Torino, 1886.

*F. Duilhé de Saint-Projet*, Apologie des Christenthums auf dem Boden der empir. Forschung. Deutsch von Braig. Freiburg, 1889.

*Al. Trissl*, Das bibl. Sechstageswerk. Regensburg, 1894. — Sündflut oder Gletscher? Regensburg, 1894.

Opera a Reusch, Lüken, Güttler, Hettinger, Duilhé de S. P. scripta etiam in linguam Hungaricam translata sunt.

## ARTICULUS TERTIUS.

## Natura Scripturae prophetica.

## § 79.

## Relatio antiqui et novi testamenti.

Libri sacri, quum utriusque testamenti historiam, doctrinam et instituta describant, sine accurata mutuae relationis eorum cognitione intelligi non possunt. Si autem relatio illa non recte intelligatur, omnis S. Scripturae sensus, imo tota religio revelata pervertitur, ut exemplum non solum antiquarum haeresum, sed etiam recentioris mythicae interpretationis docet. Relationem utriusque testamenti sequens declarat

*Propositio: Relatio antiqui et novi testamenti est harmonia teleologica partium ejusdem oeconomiae salutis, ad novum testamen-*

*tum divinitus praeordinata.* Quae propositio explicanda est per partes.

1. — *Harmonia* duorum testamentorum est evidens, et in eo consistit, quod *unum ad alterum est accommodatum*, seu *novum testamentum cum prophetis antiqui concordat.* Quae in antiquo testamento promissa sunt, in novo implentur, quae ibi adumbrata sunt, hic ad effectum perducentur.

Vetus testamentum est promissio, imago et quasi umbra praemissa, novum autem impletio, veritas et corpus (cf. I. Cor. 10, 6. Coloss. 2, 17. Hebr. 8, 5. 10, 1.); vel ut S. Augustinus dicit, »novum foedus in vetere latet, vetus in novo patet«. Specialiter personae, res et eventus novi testamenti in antiquo prophetis anticipantur, etquidem tum praedictionibus, tum signis prognosticis, tum figuris futurorum historicis. Prophetae quasi praevie evangelium scripserunt, et historia populi electi historiam regni Messiani in multis praefiguravit. Historia Jesu Christi (ut pulchre dicit P. Didon) scripta erat, antequam ipse natus esset. Sed etsi tota antiqua salutis oeconomia erat prophetica, tamen non omnes eventus ejus ac ritus sunt prophetiae; multi enim ad praesentia pertinent. Nec omnes libri A. T. atque horum loci sunt prophetici; sed multi historici et didactici.

2. — *Harmonia* amborum testamentorum est *teleologica divinitus praeordinata*, idest novum testamentum est exemplar antiqui.

Finis quamquam ultimus in executione, tamen semper primus est in intentione, et causas, media atque antecedentia idea sua regit sibi accommodat. (Hysteron proteron teleologicum.) Sic etiam antiquum testamentum ut medium ad novum dirigitur et hujus imago efficitur; novum autem ut finis per ideam et potentiam divinam antiquum ad se conformat.

*Harmonia* haec intelligi non potest, nisi aut ambo testamenta ad exemplar commune sint constituta, aut vero alterutrum testamentum ad similitudinem alterius formatum. Atqui ambo testamenta ad exemplar commune effecta esse non possunt; quia tale exemplar ostendi nequit, et quia si res ita se haberet, neutrum testamentum ipse finis esset, et ambo aequalitatem potius, quam consonam in varietate unitatem prae se ferrent. Alterutrum ergo testamentum sit exemplar alterius necesse est. Novum testamentum ad exemplar antiqui, puta idearum et expectationum Messianarum fictum esset mythos; antiquum ad similitudinem novi praeformatum est prophetia. *Harmonia* ergo amborum testamentorum aliter, quam aut mythice, aut teleologicè seu prophetice

explicari nequit; nempe aut vetus testamentum est prophetia novi, aut novum est mythos ex antiquo natus. Verum et ipsi libri sacri, et traditio Judaeorum atque Christianorum, et impossibilitas mythicae interpretationis — infra probanda — teleologicam seu propheticam utriusque testamenti relationem demonstrant.

3. — *Ambo testamenta unam constituunt oeconomiam salutis*, sive unum opus divinum ad genus humanum lapsum salvandum, et duae hae oeconomiae partes unitate causae, finis ac doctrinae fundamentalis sunt inter se conjunctae.

Auctor utriusque testamenti est unus idemque Deus. Finis totius oeconomiae salutis est divina filietas, redemptione generi humano acquirenda, in antiquo testamento imperfecta, in novo perfecta, ibi praeparata, hic autem effecta. Deinde antiquum testamentum continet semina veritatum et praeceptorum novi. Rursus novum testamentum antiqua dogmata retinuit sed ea explicavit novisque locupletavit. Legem moralem antiquam (quae alioquin non erat nisi lex naturalis, ut S. Augustinus docet, ideo in tabulis scripta, quia eam in cordibus scriptam homines legere noluerant) non solvit, sed adimplevit, idest explanavit, ab additamentis humanis purgavit, novis praeceptis et consiliis auxit, nobilioribus (spiritualibus atque ultramundanis) motivis, gratiis et horum instrumentis ex opere operato efficacibus ditavit, Christique exemplo illustravit. Legem autem Mosaicam caeremonialem praeparatoriam et propheticam expectatione ejus expleta abolevit, eam mortuam, imo post ruinam reipublicae ac templi Judaeorum et divulgationem evangelii mortiferam (peccatum) fecit. Legem judicalem (civilem) a lege morali et caeremoniali distinxit, theocratiam politicam sustulit, quo lex judicialis mortua est, non tamen mortifera effecta.

4. — *Finis antiqui testamenti est novum*, in quo finis totius oeconomiae salutis, scil. redemptio generis humani efficitur, et cujus *antiquum testamentum non erat nisi praeparatio.*

Antiquum testamentum testibus et propria natura, et claris Scripturae utriusque Foederis verbis, non erat perpetuo duraturum, nec ultimum oeconomiae salutis finem assecuturum, sed praeparatio regni Messiani, introductio divina ad evangelium et gratiam. Deus a lapsu protoparentum redemptionem et novum testamentum intendit, et antiquum non nisi propter novum instituit. Sicut etiam gentibus philosophia, ita Judaeis lex paedagogus erat ad Christum educans. Vel si lex erat quasi flos, evangelium erat fructus. Quum autem munere suo perfuncta et finem assecuta esset, synagoga — dicente S. Augustino — cum honore sepulta est.

Praeordinatio illa antiqui testamenti, seu prophetia sensu latiore tribus modis fit: praedictionibus verbalibus seu *vaticiniis*, signis prognosticis seu *symbolis propheticis*, et praefigurationibus historicis seu *typis*. De his singillatim acturi sumus.

### § 80.

#### Cognitio et allegatio vaticiniorum.

1. — *Vaticinium* est praedictio rei futurae contingentis, idest rei, quae potest esse et non esse, et quae neque ex se, neque ex causis ab ulla creatura praevideri potest, sed per revelationem divinam cognoscitur. Tales sunt praecipue eventus a libera voluntate dependentes. Revelatio vaticinii fieri potest interna mentis illuminatione, somnio, visione, extasi, voce caelesti vel per angelum. Promulgatio vaticinii fit vel voce, vel scriptura. Vaticinia aequalibus plerumque sunt obscura, quae demum post eventum clarescunt.

Vaticinia in aliquo Scripturae loco *adesse cognoscuntur*:

a) E textu ipsius praedictionis, qui plerumque expresse significat, rem futuram praenuntiari.

b) Ex alio loco Scripturae, ubi eventus loco, de quo agitur, praedictus esse, praenuntiationi respondere, ejusque impletio esse perhibetur.

c) E traditione Judaica vel Christiana.

d) Ex evidenti effati antiqui et eventus novi similitudine, quae fortuita esse non possit.

2. — Specialiter in *vaticiniis Messianis cognoscendis* sequentes regulae observandae.

*Regula 1.* Si Scriptura vel certa traditio aliquod vaticinium ad Messiam ejusque opera, etquidem sensu proprio referunt, id aliter accipere non licet. E. g. Ps. 2. conf. Act. 4, 25. 13, 33. Hebr. 1, 5. 5, 5. Apoc. 2, 27. 19, 15.; dein Ps. 15, 10. cf. Act. 2, 31. 13, 35.; Ps. 21. cf. Matth. 27, 35. 46. Marc. 15, 34. Joan. 19, 23. 24.; Ps. 44, 7. cf. Hebr. 1, 8. Similiter Is. c. 53. Zach. 9, 9. 11, 12. 12, 10. etc. variis locis Novi Test. ad Messiam referuntur.

*Regula 2.* Si vaticinium aliquod nulli personae humanae sine tropo insolito, hyperbole absurda, vel interpretatione contorta ac ridicula applicari potest, in Messiam autem optime convenit: id certe Messianum habendum est. E. g. Ps. 2. Is. 7, 14. 9, 6. sqq.

*Regula 3.* Etsi pleraque vaticinia sunt Messiana, tamen non licet omnia vaticinia Ant. Testamenti vi et arte in Messiam ejusque regnum

deterquere; multa enim vaticinia alias personas humanas (e. g. alios prophetas, Cyrum regem), regna mundi, fata populi Israel et aliarum gentium spectant. Accommodatio autem et interpretatio mystica hujusmodi vaticiniorum permittitur.

*Regula 4.* Quia regnum Messianum, ut ab aequalibus intelligeretur, in antiquo testamento verbis et imaginibus theocraticis describitur: ideo nomina personarum ac rerum Israeliticarum et antiquarum gentium, item ea, quae de his apud prophetas praedicuntur, saepe ad regnum Messianum ejusque hostes aliquo modo (simpliciter, analogice, cumulate vel typice) pertinent.

3. — Vaticinia Antiqui Testamenti in Novo *diversis modis afferuntur*.

a) Sensu non tantum a Spiritu S. intento, scil. litterali vel typico, sed nonnunquam etiam, ut videtur, sensu accommodato. (V. infra p. 228.)

b) Secundum textum Hebraicum, aut (plerumque) secundum versionem Alexandrinam.

c) Allegatio aut ad litteras fit, aut secundum essentiam seu ad sensum.

d) Allegatio est tum unius loci prophetici solius, tum plurium locorum simul; eorumque aut distinctorum, aut contextorum imo in unum effatum confusorum.

e) Saepe in allegatione prophetiarum non dicitur hoc facto vaticinium impletum esse, sed dicitur hoc (quamvis malum) ideo factum esse, ut (*iva finale*) impleretur vaticinium, quasi Deus facta historica (etiam mala) ad vaticinia, et non vice versa haec ad eventus futuros accommodet. Verumtamen his allegandi formulis non finis significatur, sed consecutio, nec semper factum divinitus intentum, sed infallibilis vaticinii veritas et impletionis necessitas. (Teleologia prophetica et typica.)

### § 81.

#### Impletio vaticiniorum.

1. — Vaticinia *quatuor modis impleri possunt*: simpliciter, similiter, cumulate et typice.

1. *Simpliciter* vaticinium impletur, si idem semel et exacte evenit, quod sensu litterali (proprio, tropico vel symbolico) praenuntiatum est. Vaticinium sic impletum vocatur simplex.

Hujusmodi sunt plurima vaticinia Messiae vitam et opera spectantia. E. g. Ecce virgo concipiet Is. 7, 14. conf. Matth. 1, 23.; Et tu Bethle-

hem Ephrata Mich. 5, 2. conf. Matth. 2, 6.; regnum Messiae universale Ps. 2. et 71. item Is. c. 11.

2. *Sensu simili seu analogice* vaticinium impletur, si non exacte idem, vel non solum idem fit, quod verba praedictionis per se significant, sed aliquid simile, eo comprehensum. Haec tamen non est mera vaticinii accommodatio, sed vera impletio, quia ab auctore vaticinii, saltem divino praevisa et intenta. Ejusmodi vaticinium analogicum, plerumque de eventu aliquo praesenti historice dicitur; sed praeterea saltem Dei consilio aliam rem futuram significat, qua prophetice impletur.

E. g. locus Isai. 6, 9. 10. *Excaeca cor populi hujus et aures ejus aggravata etc.* Matth. 13, 14. sq. et Act. 28, 26. in Judaeis Christi et apostolorum aequalibus adimpletus esse dicitur. Deinde verba Isaiae (29, 13.): *Populus iste labiis glorificat me, cor autem ejus longe est a me*, de pharisaeis dicta esse, Christus Dominus ipse Matth. 15, 7. 8. docet.

3. *Cumulate* seu *synthetice* vaticinium impletur, quum id quod praedictum est, non uno eventu, sed multis actibus fit, idest serie rerum et factorum per partes vel iterum iterumque evenit. Singuli eventus vaticinium ex parte, vel imperfecte adimplent; perfecta autem impletio tota serie vel extremo actu ac fine efficitur. Talis prophetia vocari potest cumulata.

E. g. promissio prophetae a Moyse Deut. 18, 15. facta partialiter ad singulos prophetas, perfecte ad Messiam spectat. Vaticinium Nathan II. Reg. 7, 16. de throno aeterno filii David in reges Juda ex parte, in Messiam regem ex toto cadit. Vaticinium de antichristo II. Thess. 2, 3. 4. ad quemvis ecclesiae adversarium partialiter, perfecte autem ad certam personam, in fine saeculorum venturam pertinet.

4. *Typice, idest sensu spirituali* impletur vaticinium, quod in eventu propiore sensu litterali vere impletum, iterum etquidem sensu spirituali impletur in eventu remotiore, cujus prior eventus typus fuit. In his ergo vaticiniis duplex est impletio: proxima et remota. Vaticinium sic impletum vocatur typicum. De hoc autem infra uberius erit sermo.

Fr. Reithmayr (Herm. p. 38. sqq.) in nonnullis vaticiniis *duplicem sensum litteralem* ponit, unum apparentem et propiorem, alterum latentem, remotiorem, plenum, verum ac Messianum, quem vocat *sensum litteralem completum* (Der literale Vollsinn der Bibel), cui respondeat *impletio litteralis completa*. A propheta et aequalibus tantum sensum propiorem intelligi, ideo eis unum tantum apparere sensum litteralem. Verum a Spiritu S. etiam alterum sensum intendi, qui postea historia

interprete appareat. Tale vaticinium esse dicit Reithmayr II. Reg. 7, 14. *Ego ero ei in patrem etc.*, quae verba immediate Salomonem spectent, sensu autem litterali pleno (conf. Hebr. 1, 5.) Messiam.

Nos autem hunc sensum aut cumulatum aut typicum habemus. At Reithmayr instat, his vaticiniis *vocem, dictum* prophetarum teste Scriptura impleri, ergo non *rem* verbis expressam. Sed etiam in vaticinio cumulado verba implentur, item in vaticinio typico, ubi primo verba typo, deinde typus antitypo implentur. Merito ergo dici potest his etiam verba impleri.

2. — *Estne omne vaticinium impletum?* Non. Etenim a) multa vaticinia ad futura etiam nunc pertinent, quae saltem perfecte, nondum impleta sunt, vel quorum impletio demum post certum tempus apparebit. Ita ea, quae ad finem mundi vel ad ultimum judicium spectant, vel fors nonnulla vaticinia historica Apocalypsis. b) Alia sub conditione promissa vel intentata erant; deficiente ergo conditione non evererunt. E. g. Isai. 38, 1. Jonae 3, 4. c) Quaedam vaticinia tropica sunt; non est ergo mirandum, si ea sensu proprio impleta non sunt. E. g. vaticinia de Messia rege bella gerente, de throno David et sacerdotio Levitico in perpetuum duraturis: II. Reg. 7, 16. Ps. 2, 5. 9. 71, 5. 8. Jer. 33, 18. sqq. d) In Bibliis occurrunt etiam praedictiones humanae, ab ipsis viris inspiratis privata auctoritate, non ex inspiratione editae. Hae quum vera vaticinia non sint, falli et ad irritum cadere possunt. Ita Nathan propheta consilium templi aedificandi, quod rex David ceperat, propria auctoritate approbat, idemque consilium altero die nomine Dei improbat. (II. Reg. 7, 3. 13.) Paulus presbyteris Ephesiis Mileti valedicens, conjectura humana auguratur eos faciem suam non amplius esse visuros (Act. 20, 25. 38.); et tamen ex I. Tim. 1, 3. videtur Ephesum postea reversus esse.

Notandum adhuc est, eventum multorum vaticiniorum a nobis ignorari, eo quod multa historiae antiquae facta nos latent. Ita e. g. quando et quomodo vaticinia de interitu Philistaeae (Is. 14, 28—30.) vel Moabitarum (Is. 15, 1.) impleta sint, compertum non est.

## § 82.

### Allegatio vaticiniorum non est mera accommodatio.

1. — Theodorus Mopsuestenus, in synodo oecum. V. damnatus, videtur allegationes vaticiniorum Antiqui Test. in Novo pro meris accommodationibus sensus habuisse. Idem fere senserunt Sociniani, nec ipse Grotius ab eo errore immunis fuit. Multi autem rationalistae hacce

accommodationis theoria vaticinia Antiqui Testamenti in Novo allata vi probandi privare conantur.

Etiam nonnulli catholici aliqua vaticinia in Novo Testamento sensu accommodato citari concedunt; e. g. Isai. 6, 9. sq. (Matth. 13, 14. sq.), Is. 29, 13. (Matth. 15, 7. 8.), Os. 11, 1. (Matth. 2, 15.). Ita Corn. Jansenius Gand. sensit; minus juste Vasquez et Maldonatus in eadem sententia fuisse dicuntur. Alii autem sensum accommodatum vaticiniorum in Scripturis allatorum omnino non admittunt. (Nos locos istos partim sensu simili, partim typico citari existimamus.)

Sed nulla est ratio, accommodatam vaticiniorum allegationem negare. Revera videtur Dan. 9, 27. et Amos. 8, 10. in libro I. Mach. 1, 41. 57-o, deinde Ps. 18, 5. Rom. 10, 18-o, item Ps. 78, 2. 3. I. Mach. 7, 17-o sensu accommodato allegari. Verum his locis Scriptura vaticinium impletum esse haudquaquam dicit, sed aut simpliciter verbis alienis utitur, aut tantum dicit: »*secundum verbum, quod scriptum est.*« Ubi autem Scriptura vaticinium impletum esse affirmat, vera ejus impletio pro certo habenda est, si non simplex, certe analogica, cumulata vel typica. Ita Matth. 2, 15. 13, 14. 15, 7. 8.

2. — Non obstantibus paucissimis illis vaticinii accommodati exemplis, valet

*Propositio: Plurima vaticinia in Bibliis allegata accommodationes esse non possunt. Etenim*

a) Pleraque vaticinia in Novo Testamento *formulis teleologicis* afferuntur, quae meram verborum propheticorum accommodationem vel congruentiam fortuitam excludunt, et divinam praescientiam atque ordinationem futurorum arguunt. Facta novi testamenti evenisse dicuntur *ut adimpleretur, quod scriptum est, ut Scriptura impleretur*; vel prophetia antiqua novo eventu *impleta esse* dicitur. Quae omnia significant, vaticinia illa ratione habita eventuum esse edita, scilicet ideo, quia hi ex dispositione vel praescientia divina futuri essent; facta autem revera evenisse, quia praedicta essent, et quia dispositio vel praevisionis divina irritae fieri non possint.

b) S. Scriptura vaticiniis saepe *ad probandum* utitur. Atqui nisi sensus ab auctore intentus, vim probandi non habet; sensus mere accommodatus auctoritate caret.

c) Si antiquum testamentum ad novum apparandum divinitus destinatum est, quod aperta Scripturae verba, item Judaeo-

rum atque Christianorum traditio docent: *non est cur impletio vaticiniorum negetur.*

d) Vaticinia eorumque sensus aetate apostolorum praecipua *lectionis et institutionis religiosae materia* apud Judaeos erant. Ea ergo apostoli et evangelistae — ut inspirationem taceamus, — vel ob hanc ipsam causam ignorare, contra sensum traditionalem interpretari, vel arbitrario accommodare vix poterant.

### § 83.

#### Symboli notio et divisio.<sup>1</sup>

1. — Symbolum *sensu lato* est omne signum; *sensu autem stricto* est species signi, scilicet *persona, res* (irrationalis) *vel actio sensibilis, rem invisibilem, plerumque analogam ex institutione rationali* (Dei vel hominis) *repraesentans*. Res autem invisibilis, symbolo repraesentata est tum veritas abstracta (in S. Scriptura res fidei et morum), tum persona, res vel actio, eaque praeterita, praesens vel futura.

Symbolum est a) *signum ob aliud*, quod non ob seipsum est, sed — sive sit res natura edita et ad significandum adhibita, sive nova res nonnisi ad aliam repraesentandam effecta — merum medium est, quod totam suam existendi rationem in significatione habet, sine qua non esset electum vel factum. b) Symbolum *duplicem habet sensum: immediatum et mediatum*; vel si de symbolo verbis expresso agitur: *verbalem et realem*. Prior est sensus signi, posterior significati. Non est tamen uterque sensus vere intentus. Revera enim solus sensus mediatum seu realis intenditur ut finis; signum et ejus sensus immediatus tantum ut merum instrumentum, ergo non ob seipsum, sed ob significationem intenditur. Itaque sensus symboli etsi realis, tamen adhuc grammatico-historicus est, non autem spiritualis. Sensus unius symboli per se nonnunquam multiplex esse potest; sed sensus symbolicus aliquo loco intentus semper est unus.

Symbolum per se est res vel actio in mundo physico; in Bibliis symbola non sunt, sed descriptiones tantum vel narrationes eorum. Symbolum a tropis eo differt, quod tropus est mera idea vel vox ad

<sup>1</sup> Ad hermeneuticam *Christianam* revera non pertinet, nisi symbolum propheticum. Sed ne rem discerpamus, hoc loco omnia, quae ad symbolum attinent, pertractamus.